



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Symbola Trinitatis, Id Est Trinitatis diversarum rerum, ex
Veteris ac Novi Testamenti Scripturis, Historijs &
exemplis; nec non congruentioribus rerum naturalium
similitudinibus conscripta ...**

Duplan, Theodore

Ruraemundae, 1663

9. Triplex Musica.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12221

Quæ patet immensus tellus latissima campis,
Subdita mentoris legibus ipsa jacet.

Tertia quæ numeris gaudet, veneratur, & artis
Reginam Triadem computat esse suæ.

SYMBOLUM 8.

Triplex Grammatica,
*Rectè loquendi scientia, Poëtarum enarratio, Historiarum cog-
nitio.*

ARs benè, Sancta Trias, tradens elementa loquendi,
Expolit in laudes ora pusilla tuas.
Progressu majora parans conamina laudum,
In medijs vatum velificatur aquis.
Perlegit historias, quas dum complectitur omnes,
Suspicit imperij plurima facta tui.

*S. Aug. lib. 18. de civ. c. 14. meminit trium Poëtarum Theologorum, quorum nomina
Orpheus, Muscus, Linus, qui ita dicebantur quod Deos carnibus colerent.*

SYMBOLUM 9.

*Musica, seu ars benè modulandi, versatur in tribus: Numeris,
Vocibus, Modis. Cic. de Orat. lib. 1. vel ut alij: in figurâ,
tempore, mensurâ. Et est triplex: instrumentalis, metrica,
& instrumentorum, ac metri Iudex. Vel alia Harmonica,
alia Metrica, alia Rithmica est. Vide Virg. Polyd. de
rer. inu. l. 1. c. 14.*

BIs ternis sinuosa notis variata tonisve.
Suavè fluens (a) Triadem musica tota sonat.
Organa quæ tangit, procudit & altera versus,
Tertia discernens organa, metra, fonos.

O Philomusa phalanx Triadem concentibus effer

In numeris ; numeris , vocibus , atque modis.

(a) In musica tam practica quam theoretica ternarius numerus frequentissime sua loca habet. Quomodo hoc ab ineffabili Trinitate , qua cuncta condidit , proveniat , ne ab ea musica recedat ; vide apud Ven. Bed. in Musica quadrata seu mensurat a circa initium. Ubi etiam Musicorum & Cantorum distantiam allegat. Hi enim dicunt ; illi sciunt quae componit musica : Nam qui canit quod non sapit , dicitur bestia. Juxta versusum : Bestia , non cantor , qui non canit arte , sed usu ; verum cantorem facit ars , sed non documentum Musica dicitur a Musis , quae secundum fabulam dicuntur filiae Jovis. Haec & plura alia lectu grata Beda loc. cit.

SYMBOLUM 10.

Tres formae regiminis.

Monarchia , Aristocratia , Democratia.

UNicus aut princeps , aut nobilis ordo Virorum
Imperat ; aut clavum turbida turba tenet.

Prima tenet primas , quae proxima forma secundas ,

(a) Postremas pejus quae moderamen habet.

Summa Gubernatrix totius , & Unica mundi ,

Caelicolum Rectrix terrigenumque Trias.

(a) Juxta illud :

Multorum Imperium multa est confusio semper ,
Multi sunt damno Domini. Rex unicus esto.

SYMBOLUM 11.

Tres personae in Legitimo Judicio.

Actor , Iudex , Reus.

Iudicio quovis personas aspice ternas ;

Accusatoris ; Judicis , atque rei.

Actor erit summæ , Genitor qui praesidet , arci ,

Judex , qui Judæe judicium subjicit.

F f 2

Spiritus